

Vox est (inquit Reusnerus è Dione, in Symbol. Imperator.) quæ  
 monuit, Principem erga subditos talem esse debere, qualem erga se  
 velit esse ipsos subditos. Quod è Senecâ (epist. XLVII.) sumtum esse  
 videtur, Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem  
 velles vivere. Alterum est, ne prius sententiam ferant iudices, II.  
 quàm diligentissimè utriusq; partis iura cognoverint: ubi eadem alle-  
 gat, à quibus nos Programmatis hujus initium duximus, nisi  
 quod pro Alexandro Fil. substituit patrem Philippum. Postremum III.  
 illud est, debere quidem iudicem planè medium esse, si tamen alter-  
 utram in partem iuclinandum sit, minus periculi esse in lenitate atq; cle-  
 mentia, quàm in acerbitate & severità. Unde & paullò antè bonus  
 addebat Agapetus, Πεσοσενέγκωμεν τῷ ἐλέφ τὸν ἔλεον, ἵνα τῷ ὁμοίῳ τὸ  
 ἕμοιον ἀντιλάβωμεν. Et præcipuè commendatur M. Antoninus, quòd  
 pœnas legibus definitas semper usq; ad aliquem modum mitigaverit:  
 nempe, juxta Hermogenianum (l. 42. ff. de pœnis) interpretatione le-  
 gum pœna mollienda sunt potius, quàm asperanda, quam appellare so-  
 lent interpretationem benignam, uti habetur ff. de Ll. l. 18. § 25. Be-  
 nignius interpretandæ sunt leges, quò voluntas earum conserve-  
 tur, Nulla enim juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ  
 salubriter pro utilitate hominum introducuntur, eas nos durio-  
 re interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad  
 severitatem. Vitia sanè erunt donec homines, acutè apud Tacitum  
 (lib. IV. Histor. c. 74.) dixit Cerialis: quam in sententiam prolixior  
 locus est apud Thomam Lansium in oratione Nicolai Buwinckbusii pro  
 Germaniâ, quàm ut huc transcribi possit. Majorem proinde lau-  
 dem meretur vox illa Neronis subscripturi sententiæ capitis in  
 quemdam, Utinam numquam didicissem literas, quàm ille Nerone  
 (hâc in parte) Neronior L. Cassius Prator (apud Valer. Max. l. III.  
 c. 7. §. 9.) cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus dice-  
 batur reorum, ut pallerent (Juden. sat. I. v. 44. & Sueton. Caligul.  
 c. 20.) ceu Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

No-